



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

x. De Consecratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

videtur, ut quis in alios id conferre possit, quo eundem indigere dignoscitur. Quod si consecratus sit, non solum quæ iurisdictionis, verum etiam quæ ordinis sunt, exequi poterit.

DE CONSECRATIONE,

TITVLVS X.

Consecratio expediri debet intra tres menses post confirmationem. h. d.

Debet igitur is qui canonicè electus, confirmatus & examinatus est, nouissimè consecrari. Quod quidem, ne Ecclesia Pastoris quasi destituta solatio, aliquod patiat incommo- dum, intra tres menses post electionem, nisi legitimè iussit impedimentum, expediri debet: alioqui si Metropolitanus, aut ij ad quos ea res pertinet, negligentes fuerint, Ecclesiasticis cõdemnationibus subijciendi erunt.

Consecrationi interesse debent ad minus tres Episcopi, alioqui non ualet. h. d.

Ordinationi autem interesse debent, non solum Metropolitanus, verum etiam comprouinciales Episcopi, qui numerum conficiant trium^b. Nam & beatus Iacobus, qui Iustus appellatus est^c, à Petro, Ioanne & altero Iacobo, Apostolis ordinatus est: successorib. suis scilicet formam dantibus: ut non minus quoq; tribus Episcopis, cæteris

quoque assensum præbentibus, Episcopus ordinetur. Quod si ab vno, vel duobus Episcopis ordinatio expedita fuerit, taliter ordinatis, ut Episcopi nominentur, à sanctis Patribus interdicitur: ergo si nomen non habent, officium qualiter habebunt? Euocandi sunt igitur à Metropolitanò^d suffraganei, qui si omnes concurrant, bene est: si aliqui conuenire nõ possunt, sui præsentiam per epistolam face- re debent.

Archiepiscopus impeditus, consecrationem sui suffraganei alteri committere potest. h. d.

Quod si Metropolitanus, vel infirmitate^e, vel alia iusta causa ita præpediatur, ut suorum suffraganeorum aliquem cõsecrare nõ valeat, alicui cõepiscoporum vices suas demandare poterit, à quo consecrandus munus consecrationis recipere tenebitur.

Deficientibus Episcopis comprouincialibus, aduocandi sunt Episcopi vicinæ prouinciæ.

Illud quæsitum est, si in prouincia in qua olim plures Episcopi fuerint, vnum tantum remanere contigerit, quid fieri debeat, cum & solus ordinare nõ possit, & nullos quos conuocet, habeat prouinciales? De hoc in Sardicensi concilio^f statutum legitur, ut superstes Episcopus conuocet Episcopos vicinæ prouinciæ, & cum eis cõprouinciales sibi met Episcopos ordinet.

Quo-

^a cano. 2. distin. 75.

^b can. 1. distin. 64. & per totum. & distin. seq.

^c can. fin. distin. 66.

^d can. 1. & seq. distin. 64. & cano. 2. distin. 65.

^e cap. quod h. dem. extra. de offi. ordi.

^f can. fin. distin. 65.

Quomodo sit explicanda consecratio. h. d.
 a *can. 1. dist. 75.* Congregatis igitur hora Dominicæ lucis tertia Episcopis, & Scrutinio cum precibus celebrato, duo supra caput ordinandi, Euangelij codicem tenentes, manus imponant, & vno super eodem benedictionem fundente, cæteri qui adsunt, manibus suis caput eius tangerant, atq; illud vnâ cū manibus sacro chrismate deliniāt: quo demū peracto, Ecclesiæ Romanæ, atq; eius Pontificibus fidelitas secundū formam Gregoriani ^b rescripti iuranda erit.

b *cap. ego N. extra. de iur. iur.*

DE RECEPTIONE ET autoritate Pallij,

TITVLVS XI.

Pallij receptio non est differenda: & uolens aliquid palliando obijcere, debet iurare de calunnia, & intra duos menses obiecta probare: alioquin tenetur ad pœnam talionis.

e *can. 1. dist. 100.* **H**oc amplius Metropolitanum prospicere oportet, vt pallij petitionem, & receptionem non differat: Cùm si bi sine pallio Episcoporum consecrationem ^d minimè permittam scire debeat. Est autem pallium Metropolitanorum insignne ornamentum, quod de corpore beati Petri sumitur, Pastoralis officij plenitudinem ^f designans: Cuius receptio, vt citius explicetur, nouissimè constitutum est, ne per cuiusvis criminis obiectionem fortè pallian-

a *cap. quod sicut. in fin. ex. de elect.*

e *cap. ad honorem. in gloss. 1. ext. de auth. & usu pal.*

f *cap. nisi. de auth. & usu pal. ex.*

do faciendam differri possit: g nisi obijcientes corporali iuramento præstito firment se, nec agere quicquam callidè, ac de obiectis promptam fidem, hoc est, intra bimestris tēporis spatium afferant, ad talionis, vel extraordinariam pœnam se Preſidis obligantes arbitrio, si obiecta minimè probauerint. Quod si contradictores ista facere renuerint, eorum obiectionibus nequaquā obstantibus, ad ipsius traditionem pallij procedendum erit.

g *extra. c. vni. de auth. & usu pal.*

Metropolitanus solùm in sua prouincia, & certis diebus pallio utitur, & pallium personam sequitur: & ideo commodari non potest.

Sed eo nec semper ^h, nec ubi- ^b que Metropolitanus vti poterit (id enim soli Romano Pontifici ⁱ, dum Missarum celebrat solennia, permittitur) verùm in sua tantùm prouincia, ac certis duntaxat diebus: Et cùm personam pallium non transeat ^k, nec alteri commodari poterit: ^k & cum eo quisque sepeliendus erit.

b *cap. 1. & cap. ex tuarum. cū seq. ex. de auth. & usu pal. cap. ad honorem. cod. tit. extra. cap. 2. cod. tit.*

Pleraque dicta de creatione Episcoporum, habent locum etiam in alijs Prælati.

Hæc de creandis Episcopis dixisse sufficiat: Nunc de illorū vita, ac qualis eorum debeat esse conuersatio, pleraque & de cæteris Sacerdotibus intellecturi, paucis expedi-

c